



DISPUTATIO JURIDICA,

De

CONTRACTU
EMPTIONIS ET
VENDITIONIS:

Pro quâ

Divinâ aspirante aurâ

PRÆSIDE

Clarissimo ac Consultissimo viro,

DN. GEORGIO-DAVIDE

LOCAMERO J. V. DOCTORE ET

INSTITUTIONUM IMPERIALIUM PRO-

fessore Publico: Præceptore suo

honorando,

In alma Argentoratensium Universitate,

Publici exercitij gratiâ, in Auditorio Jctorum
respondebit,

Die Aprilis

IOHANNES Eßlinger Stutgardianus.



ARGENTORATI,

EXCUBEAT PAULUS LEDERTZ.

M. DC. XXII.

415.

40

1622, 4



NOBILIBUS, POLITIS-
SIMIS, VARIARVMQVE RERVM

usu. excellentissimis

Viris,

Dni. JODOCO MACHTOLPHO, Illustrissimo ac Celsissimo,
Duci Württembergico à Consiliis bellicis &c.

Dni. GEORGIO FRIDERICO Messerschmidt / Illustrissimi ite-
dem ac Celsissimi Marchionis Badensis, & Generosissimi
Comitis Ebersteinensis In Grauenalb / praefecto fide-
lissimo:

*Dominis affnibus ac fautoribus suis studiosè
colendis:*


Exercitium hoc juridicum, lubenti animo
offert & dedicat,

JOHANNES Eßlinger //
A. & R.



DISPUTATIONIS
De
CONTRACTU EMPTIO-
NIS ET VENDITIONIS:

T H E S I S I.

BLIGATIONUM ex contractu quatuor sunt speci-
es: aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis,
aut consensu, *inquit Imperator noster in §. ult. Instit. de
Obligat. ex posterioribus*, solo consensu scil. constan-
tibus obligationibus, Prima est Emptio & Venditio.
tot. tit. Instit. de Empt. & Vend. de qua, & utilissima, propter com-
parationem ad vitam sustentandam rerum necessariorum: & fre-
quentissima, propter varios & frequentes circa eam incidentes ca-
sus & quaestiones, praesentem instituere disputationem lubuit.

II.

Ne verò ulla subfit ambiguitas, cum nullum dubium aptū
sit ad tollendam ambiguitatem, *l. 12. §. 2. C. de edific. privat.* omissis
reliquis Emptionis significationibus, Verbum Emptio hīc proto-
to Emptionis & venditionis contractu sumitur.

III.

Dicta Emptio, ut volunt, à Græco *ἐμδν*, meum: quod in Em-
ptione hoc agam ut aliquid meum faciam; & nemo possit videri e-
am rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad Emptorem
transeat. *l. 80. §. fin. ff. de Contrah. Empt.* Venditio autem dicta quasi
venum datio.

IV.

Definitur Emptio venditio Contractus Jurisgentium. §. 2.
A 12 Inst.

In st. de Iure N. G. & C. nominatus l. 1. §. 2. ff. de Rerum permut. bonæ fidei §. 28. Inst. de acti. solo consensu initus, princ. Inst. de Oblig. ex consens. de re. l. 8. princ. ff. de Contrab. Empt. emptori tradenda l. 11. §. 2. ff. de Actio. Empt. & Vend. & certo pretio venditori dando. princ. & §. 1. Instit. hoc tit.

V.

Divisionem quod attinet, cum divisa res quæq; melius intelligatur. §. 3. ff. Inst. de legat. dividebatur olim Emptio & Venditio in Naturalem vel Jurisgentium: de quâ hîc: & in Civilem, quæ appellabatur mancipatio sive emancipatio, de quâ in §. 6. Inst. quib. m. I. P. P. solvitur. §. 1. Instit. de Test. Ord. Caius in fragm. Inst. t. 6. §. 3. 2. in privatam: hîc: & in publicam, quæ fit sub hasta fiscali. t. t. C. de fid. & jure hast. fisc. l. 10. t. 3. Nostris verganthen

VI.

Efficiens causa remota est Jus Gentium. supr. th. 4. & l. 5. ff. de Inst. & I. Cui successit jus Civile, quod eam certis formis & finibus circumscriptis. t. t. I. D. & C. h. t. Causa verò proxima est consensus. princ. Inst. de Oblig. ex Consens. sive voluntas. l. 44. in fin. ff. de damn. inf. l. 29. ff. Fam. Excisc. eorum qui emere vendere possunt & volunt.

VII.

Prohibentur Emere & Vendere, quidam à naturâ, ut. 1. furiosus & infans. l. 5. 40. de Reg. Iuris. §. 8. 9. de inut. stip. 2. à naturâ simul muti & surdi. Quidam à lege, ut. 1. prodigi quibus per prætorem bonis interdictum est. l. 10. pr. de curat. fur. & aliis. 2. Manichæi. l. 4. §. 3. C. de heret. & manich. 3. à se invicem Dominus & servus, quia obligatio servi statim Domino acquiritur. princ. Instit. per quas pers. nob. oblig. acquir. l. 4. ff. de Iudic. inter quos tamen genere quodam venditio dicitur contracta. in l. 10. ff. pro Empt. & l. 11. §. ult. ff. de Instit. act. Pater & filius l. 2. de contrab. Empt. & d. l. 4. ff. de Iud. Nisi de bonis castrensibus dd. ll. 4. Æger & medicus invicem morbo durante. l. 3. ff. de extraord. cogn. sic 5. durante lite Cliens & advocatus. l. 6. §. 2. C. de postul. 6. Conjuges donationis causâ l. 31. §. 3. 4. ff. de don. int. V. & Vx.

VIII.

Contrà Emere & Vendere possunt. 1. pupillus authore tutore.

re.

417.
re. l. 5. de Reg. I. l. 13. in fin. ff. de publ. in rem. 2. deportati. l. 15. ff. de interd.
& releg. 3. Judæi. l. 9. C. de Iud. 4. furiosus tempore intervalli furo-
ris. l. 2. C. de Contrah. Empt. 5. Surdus tantum, & mutus tantum. l. 48
ff. de O. & A. Imò. 6. Mutus & surdus simul ex casu, modò literarū
gnarus. arg. §. 3. Inst. quib. non est perm. fac. test. 7. Conjuges invicem:
si non viliori pretio donationis causā fiat venditio. l. 38. in f. ff. de
contrah. Em. 8. Tutor à pupillo, modò palam & bona fide. l. 5. C. h. t.

IX.

Emerere non possunt ab incolis provinciæ, qui in ea officij causa
agunt, l. 62. ff. de contrah. Empt. ut nec domestici eorum & consilia-
rij, l. un. §. pen. C. de contr. Iud. Nisi ad quotidianum victum necessa-
ria. d. l. un. §. 2. C. de contr. Iud. aut fortè paterna eorum prædia à filco
distracta, d. l. 62. d. contr. Empt. Nec milites in provincia militantes.
d. l. 62. l. 9. l. 13. ff. de re milit.

X.

Vendere non possunt. 1. Manichæi. l. 4. §. 3. C. de her. & man. 2.
Rei repetundarum. l. 20. ff. de accus. 3. Rei perduellionis. l. 6. §. 1. C.
ad leg. Jul. Mai. 4. Servi & filij familias habentes peculium sine li-
berâ administratione. l. 10. C. quod cum eo qui in al. pot. 5. Maritus
fundum dotalem pr. l. quib. alien. 6. Tutor & Curator res pupilli &
adulti sine decreto judicis. l. 22. C. de admin. tut. 7. Procurator &
Negotiorum gestor citra mandatum speciale. l. 63. ff. de proc. 8. Cui
usus domus & fundi relictus est, ejus usum vendere non potest. l. 8.
II. de usu & habit.

XI.

Vendere potest procurator cui libera administratio est concessa,
res quæ facillè corrumpi possunt. §. 43. Inst. de Rerum divis. l. 63. ff. de
procur. 2. Creditor pignus §. 1. Inst. quib. alien. lic. 3. Tutor & Cura-
tor, res quæ servando servari non possunt. l. 22. C. de admin. tut. l. 1. C.
quand. decr. opus non est. 4. Debitorum in fraudem creditorum. l. 26.
ff. de contrah. Empt. & generaliter Emerere Vendere possunt omnes
qui non specialiter prohibentur. l. 163. ff. de Reg. Iur. & quibus ple-
num commercium est ac rei suæ vel alterius libera administratio.

XII.

Materia Emptionis & Venditionis ex parte Emptoris
A 3 est.

est pretium five pecunia, quæ mensura est huius contractus *primo*.
§. 1. 2. 3. *Inst. de Empt. & Vend.* Unde patet ipsam pecuniam emi ven-
di non posse, quia ut pretij, non ut mercis esset, inventa est. *l. 1. ff. de*
Contrah. Empt. l. 1. ff. de rerum permut. fuisse tamen quosdam nummos
emi vendi solitos, constat ex l. 9. §. 2. ff. de leg. Corn. d. fals. & l. 1. Cod. de
Vet num. pot. l. 11. t. 10. utrobique Dn. Gothofr. quod intelligendum de
nummis peregrinis, qui non ut pretium, sed vel ut materia accipi-
untur, vel ornatus causâ, ut *l. 28. ff. de usuf.* quos Nostrates Schaw-
psenning, Item Gnadenpsenning vocant.

XIII.

Materia Emptionis & Venditionis ex parte Venditoris est
res seu merx venalis. *l. 1. l. 8. ff. de Contrah. Empt.* hinc eximuntur res
quæ non sunt in commercio, ut 1. homo liber (excipe casum
§. 4. *Inst. de iur. person. & t. C. de patrib. qui fil. distrax.*) loca sacra, re-
ligiosa, publica. §. ult. *Inst. h. t. §. 7. Inst. de rerum divis. §. 4. Inst. de legat.*
quorum tamen Emptio subsistit ad præstationem ejus quod inter-
est, si emantur ab ignorante. *d. §. ult. Inst. de Empt. & vend.* Martyres
quoque; sive reliquæ sanctorum. *l. 3. C. de SS. Eccles.* 2. Viventis hæ-
reditas. *l. 1. ff. de hered. vel act. vend. & res omnis quæ ante venditio-*
nem in rerum naturâ esse desit. l. 15. l. 57. l. 58. ff. de contrah. Empt.
3. Venenum malum *l. 35. §. 2. ff. h. t.* 4. Res furtiva, si uterque; id sci-
at *l. 34. §. 3. ff. h. t.* 5. Servus fugitivus. *l. 5. C. de serv. fugit. l. 35. §. 3. de con-*
trah. Empt. 6. Res dotalis immobilis *pr. Inst. quib. alien. lis. vel non.*
7. prædia minorum sine decreto *l. 22. C. de admin. tut.* 8. Eunuchi
gentis Romanæ *l. 2. C. de Eunuch.* 9. frumenta publici Canonis &
exercituum *l. 3. l. ult. C. quæ res venire non pos.* 10. Nullus privatus
purpuræ nec sericiâ barbaris comparandi facultatem habet, *l. 1. 2.*
C. quæ res ven. non pos. 11. Barbaris quoque; & hostibus vendi prohi-
bentur vinum, oleum, liquamen, & omnis generis arma *l. 1. & 2. C.*
quæ res exp. non deb. 12. Res litigiosa *l. 2. ult. C. de litig.*

XIV.

Possunt igitur Emi Vendi res cæteræ omnes, quas quis ha-
bere vel possidere vel persequi potest: & quas nec natura, nec jus
gentium, nec mores Civitatis, nec pacta contrahentium, nec vo-
luntas

418.
Iuntas testamentum specialiter commercium exemerunt. l. 34. §. 1. ff. h. t. tam res corporales, quam incorporales, ut nomina, actiones, hereditates, t. t. ff. de hered. vel act. vend. servitutes prædiorum l. 89. §. 1. ff. h. t. res quoq; dotales, si æstimata in dotem data sit. ut in l. 11. ff. de fund. dotal. etiam res aliena l. 28. ff. h. t. imò & res futurae, ut fructus & partus nascituri: captus piscium, avium, missilium: ubi Emptio subsistit etiam si nihil inciderit: quia spei Emptio est. l. 8. princ. & §. 1. l. 34. §. 2. ff. de contrah. Empt.

XV.

Forma Emptionis & Venditionis in tribus consistit. 1. in Consensu. pr. Inst. de Oblig. ex Consens. l. 9. pr. ff. h. t. 2. in pretio. pr. §. 1. 2. Inst. de Empt. & Vend. 3. in merce sive re quæ veniat. l. 8. ff. hoc. tit.

XVI.

Quoad consensum non vitiat Emptionem & Venditionem error nominis, modò de corpore constet. l. 9. §. 1. ff. h. t. nec error accidentariae qualitatis, ut si aurum deterius pro puriore l. 10. ff. h. t. aut mulier pro virgine veniat. l. 11. §. 1. ff. h. t. quod si puer pro muliere, vel contra emitur, nulla est emptio, quia in sexu error est. d. l. 11. §. 1. ff. h. t. idem est si erretur in corpore l. 9. pr. ff. h. t. idem si æs pro auro, plumbum pro argento ematur. d. l. 9. §. ult. ff. h. t.

XVII.

Consensus verd iste debet esse liber. Nam Emptio voluntaria est. l. 29. Famil. ercisc. l. 44. §. 1. de damno infect. sicut autem injuriarum potest agere qui prohibetur suum distrahere. l. 24. ff. de injur. Sic nullæ prætoris partes sunt, ut quis invitus emere vel vendere cogatur l. 31. §. 4. ff. de fideicommiss. liberr. nisi 1. Ob utilitatem publicam ad sublevandam annonæ caritatem: tunc enim rectè quis cogetur vendere victualia sua (superflua scil. non omne id quod sui usus gratia habet) licet alias ea venalia non habeat. l. 2. C. ut nem. lice. in Empt. spec. se excus. l. 10. t. 27. 2. Ob evitandam communionem. l. 7. §. ult. ff. Comm. divid. 3. Ob testatoris voluntatem, quando damnatus est heres vel rem suam vendere, vel alienam emere & solvere. §. 4. Instit. de leg. §. 2. Inst. de sing. reb. per fideicommiss. 4. Ob

4. Ob savitiam tollendam si dominus servum durius habeat, quã æquum est. §. ult. *Inst. de his qui S. vel A. Iur. sunt.*

XVIII.

Quò ad pretium requiritur 1. Ut certum sit, aded ut imperfecta sit Emptio, si de eo non conveniat *pr. & §. 1. Inst. de Empt. & Vend. l. 9. pr. ff. de Contrah. Empt.* hinc quæritur *in d. §. 1. Inst. h. t.* an valeat Emptio h. m. quanti Titius rem æstimaverit, tanti sit empta? & si quidem Titius definierit pretium, valere: si noluerit, vel non potuerit, pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto dicemus. *d. §. 1. Inst. h. t.* 2. Ut sit verum, non simulatum: quia nuda & imaginaria Venditio pro non facta est. *l. 55. ff. de contrah. Empt.* 3. Ut consistat in numerata pecunia, non in fundo, togã &c. quibus permutatio non Emptio & Venditio contrahitur. §. 2. *Inst. de Empt. & vend.*

XIX.

Non tamen requiritur in pretio, ut sit rei emptæ æquivalens. Est enim Venditio, quolibet etiam pretio accedente. *l. 16. de Reg. Iur.* & licet donationis causã etiam viliori pretio rem vendere *l. 38. ff. de Contrah. Empt.* licitum etiam est naturaliter in pretio Emptionis & venditionis contrahentibus se circumvenire. *l. 16. §. 4. ff. de min. 25. annis.* quia hæc mercatorum spes esse solet, ut sui lucri causã cum aliquo contrahant. *l. 25. §. 1. ff. de oblig. & act.* & semper Emptor viliori comparandi, venditor cariore distrahendi pretio votum gerentes, ad hunc contractum accedunt. *l. 8. C. de rescind. vend.* modò id fiat sine dolo malo, ut sit prudentia magis & industria œconomica rei familiaris servandæ, *Dn. Gothofred. ad d. l. 16. §. 4. ff. de minorib.* quàm enormis læsio proximi. Aliàs officium erit Christianorum Episcoporum, quibus verus cultus est adjuvare pauperes & positos in necessitate, providere, ne modum mercandi excedant negotiatores: id est ne carius merces vendant quam par sit. *l. 1. C. de Episcop. audien.* & hinc Episcopi appellantur *in l. ult. §. 7. ff. de munerib. & honor.* omnes illi qui præsent panem & cæteris rebus venalibus quæ Civitatum populis ad quotidianum victum usui sunt. *d. §. 7.* ad curam quoq; præfecti urbi pertinet forum pecorum & armentorum quæ ad præbitionem annonæ spectant, & cura carnis omnis
ut

ut Justo pretio præbeatur. *l. prim. paragraph. xi. ff. de Offic. pref. Urb.*

419

XX.

Contrà non valet Emptio & Venditio ob pretij incertitudinem, si emere volenti venditor sic dicit: quanti velis, quanti æquū putaveris habebis emptum. *l. 35. §. 1. ff. de contrah. Empt.* quia in arbitrium Rei conferri non debet, an sit obstrictus. *l. 2. §. 3. ff. de eo quod certo loco da. oper.*

XXI.

Pro formâ non requiritur numeratio pretij, nec arrhæ datio. Nam quod arrhæ nomine datur, est argumentum Emptionis & Venditionis contractæ. *pr. Inst. de Empt. & Vend.* Ut inde evidentius probari possit, convenisse de pretio. *l. 35. in pr. ff. de contrah. Em.* Est autem arrha, quidquid firmandæ obligationis causa datur, vulgò Gottspfenning & Weinkauff, sive pecunia sive annulus: dicta à Græco ἀρραγές, quod firmum significat, vel ab Hebræo Erabon (unde Arrhabo) quod pignus significat. *Wesemb. Inst. h. t.*

XXII.

Non requiritur etiam pro formâ Emptionis & Venditionis scriptura *pr. Inst. de Oblig. ex Conf. pr. Inst. de Empt. & vend.* Nam quod hodiè plerunq; scriptura & instrumentum per notarios confici curatur, non pertinet ad substantiam, sed ad probationem, ut eò facilior sit contractus hujus probatio. *arg. l. 26. §. ult. ff. de pos. nisi per pactum inter contrahentes convenerit, ut Emptio & venditio scripturâ conficiatur.* Tunc enim non aliter perfecta est, nisi & instrumenta Emptionis fuerint conscripta, vel manupropria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, à contrahentibus autem subscripta. Donec enim aliquid ex his deest, & pœnitentiæ locus est, & potest Emptor vel venditor impunè recedere ab Emptione & venditione: modò arrharum nomine nihil datum fuerit. Si enim arrhæ datæ fuerint, sive in scriptis, sive sine scriptis venditio celebrata sit, & recuset adimplere contractum Emptor, amittit arrhas, quas dedit: si venditor, duplum, hoc est, & ipsum quod accepit, & alterum tantum Emptori restituere compellitur, licet hoc super arrhis expressum non sit, *pr. Inst. h. t.*

B

XXIII.

XXIII.

Finis Emptionis & Venditionis est, ut res necessaria inter homines facilius communicentur, & publicâ ac perpetuâ pecuniâ æstimatione difficultatibus permutationum subveniatur, ut inquis *Iure Consultus Paulus in l. i. ff. h. t.*

XXIV.

Effectus Emptionis & Venditionis perfectæ est. 1. Obligatio, quâ Emptor Venditori ad pretium dandum: Venditor ad rem venditam Emptori tradendam obstringitur. §. 2. *vers. & ad Exemplum. Inst. de Donat.* 2. Alterutro autem cessante ex sua parte contractum adimplere, parit hæc obligatio Emptori actionem ex empto, Venditori autem ex vendito. §. 1. *Inst. de Empt. & Vend. & t. t. ff. de Act. Empt. & Vend.* 3. periculum & commodum rei venditæ: quod statim, simul atq; perfecta est Emptio & Venditio, h. e. quam primum de pretio convenerit, ad Emptorem spectat, tametsi adhuc ea res nec Emptori tradita sit, §. 3. *Inst. h. t. nec pretium venditori numeratum: pr. Inst. h. t. quidquid enim sine dolo & culpa venditoris, rei venditæ accidit, in eo Venditor securus est, d. §. 3.*

Inst. de Empt. & vend. qua de re pluribus in titulo de periculo & commodo rei venditæ.

DEO GLORIA.





Dn. RESPONDENTI.

Ergo nihil Fratri cessurus publica nostra
 Præside tam claro das documenta Schola?
 Quem prior amplectar, dicet, modo, munera vitæ
 Post Dominum Fratri qui dedit atq; tibi?
 Aemula sic dubiam reddunt mea corcula mentem:
 Tu Wolffgange places; tu mihi Iane places.
 Felicem nimium tali in certamine Patrem!
 Det Deus, ut semper sic dubitare queas!

Cognato suo dilectissimo

F.

M. JOHANNES PAULUS CRUSTIUS,
 Pr. Cl. Pr. & P. L.

II.

Multis nolo tibi molestus esse
 Eslingere, tibi molestus esse.
 Nolo. Sed liceat parum joculari
 His tecum liceat mihi joculari.
 Emit, vendis, & his tuis pagellis
 Emptor, venditor esse non rubescis.
 De te, judicio, queretur omnis
 Meo; desine conqueri ô amice.
 Emit singula, singulis amicis,
 Vendit singula, singulis amicis,
 Ut de re-benè publicâ suisq;
 Mereatur, & inde predicetur.

BERNH. WACHMAN Philiates
 & P. L. C.

III.

Empio-Venditio rectè contracta probatur -
Est arrha quiddam nomine quando datum.
Injustum dum vendis : emis Tibi Iuris & Aequi
Doctrinam, in studiis institor assiduus :
Nam Tibi cum studiis rectè vita acta probatur
Est Patri arrha aliquid nomine quando datum.

Meo

M. BLASIUS EGGEN Argent.
Jurium St. & L. P.

IV.

Dum merhodo leges vendendi tradis acuta
Ipse tibi merces vendit Apollo suas.
Quas rogitas merces? Emitur tibi gloria, vendunt
Omnia quippe Dij, quod si emat ista labor,
Perge ita & ad voti conscendes culmina tandem,
Atq; tuam frontem gloria vera manet.

C. A.

JOHANNES BENEDICTUS GOMER. F.

Strapberg, Dr. ss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



V17







RIDICA,
 415.
 ACTU 40
 IS ET
 IS:
 1622, 4
 aurd
 imo viro,
 -DAVIDE
 DOCTORE ET
 IALIU PRO-
 toresuo
 Vniversitate,
 ditorio Jctorum
 utgardianus.
 ATI,
 LEDERTZ.
 L.